

§. 393.

Adversus Debitorem , qui fugam arri-
puerit, se occultaverit, Casum fortuitum non
probaverit, inopiæ suæ gnarus aliquibus Cre-
ditoribus aut solutionem, aut cautionem præ-
stiterit, novum æs alienum contraxerit, facul-
tates suas , ac debita sincere non manifestave-
rit, vel denique dolo malo Creditores circum-
venerit, ex officio , et pro circumstantiarum
ratione etiam Criminali Judicio procedendum
est.

§. 394.

Siquis se solvendo non esse Judici denun-
ciaverit, Concursus Creditorum , pro eo atque
Capite IX. præscriptum est, excitetur.

CAPUT XXXIV.*De Restitutione in integrum.*

§. 395.

Restitutio in integrum competit læso in
sequentibus duobus Casibus : a) Si terminus
Proc. Jud. Transl. M per-

peremptorius citra ipsius culpam elapsus fuerit; b) Si Sententia adversus læsum prolata fuerit, is vero postea documenta gravioris momenti repererit, quæ antea ab ipso sciri, vel taliter inveniri non potuerint.

§. 396.

In primo Casu Restitutio in integrum intra dies 14 post lapsum termini peremptorii petenda, secus vero læsus postea amplius audiendus non est; in secundo vero Casu læsus facultatem habet Restitutionem in integrum petendi, quamdiu juri suo præscriptum non fuerit.

§. 397.

Qui jus habet indemnitatis præstationem adversus tertium petendi, eamque ab illo obtinere potest, ei nihilocieius liberum esto Restitutionem in integrum postulare.

§. 398.

Restitutio in integrum apud Judicem petenda est, penes quem lis acta fuerit, vel for-

te adhuc pendebit; is vero auditis partibus,
quemadmodum de alia quavis Causa privata
cognoscito.

CAPUT XXXV.

De Feriis.

§. 399.

Dies a Judiciis vacui , seu feriati sunt
Dominici, festi de præcepto, Dies a festo
Nativitatis Domini usque ad Epiphaniam , a
Dominica Palmarum usque ad secundum Pa-
schatis; tres Dies Rogationum; Dies a festo
Corporis Christi usque ad Octavum , seu
Diem Jovis subsequentem.

§. 400.

Dies feriatos pro Causis audiendis præ-
stitui non liceto; præterquam si Judici comper-
tum fiat, e dilatione uni vel alteri Parti dan-
num, vel periculum damni obventurum.